1259. 12. Augusti   Milano   58.

In nomine domini. Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, indictione secunda, die mercurii duodecimo exeunte augusto. Investiverunt et per omnia in suum
locum posuerunt Girardus et Pellegrus fratres filii quondam domini Petri de Ferrariis civitatis Mediolani porte Cumane, utrumque in solidum, Clarum de Cocorezo predicte civitatis nominative
de modiis octo frumenti et modiis sedecim misture sicalis et milii equaliter et de omnibus expensis et damnis et interesse passis factis et passuris et futuris et omni eo quanti
ipsa blava tota fuit et valuit et valebit. Que modia octo frumenti et modia sedecim misture sunt medietas illorum modiorum sedecim frumenti et modiorum triginta duorum
misture quam misturam et quod frumentum predicti fratres debebant habere ab heredibus quondam Manfredi Cagatosici pro ficto pacto de annis octo preteritis unius petie campi
iacentis in territorio loci de Pabiago ubi dicitur in Cantono de Parabiasca, cui est ut esse consuevit a mane heredum quondam Garandi Crivelli, a meridie via, a sero Stephani Ca-
gatosici, a monte istorum heredum, et est pertice quadraginta quinque vel id circa. De qua petia terre predictus quondam Manfredus fecerat venditionem predicto Girardo Ferrario
pro precio libr. sedecim tertiol. ut constabat per instrumentum unum factum millesimo ducentesimo quadragesimo tertio die sabbati secundo die madii, traditum et scriptum per Gualterium Pa-
nigarollam notarium. Et de qua petia terre predictus Girardus investiverat libellario nomine predictum quondam Manfredum ad fictum faciendum quolibet anno modia duo fru-
menti et modia quatuor misture sicalis et milii ut constabat per aliud instrumentum factum predicto anno et die et per eundem notarium. Et de quibus extiterant fideiussores et princi-
pales debitores quisque in solidum Azo de Axago et Iohannes Cagagrassa ut in predictis instrumentis continebatur. Et pro quo debito predictus Girardus fecerat dari bannum
dicto quondam Manfredo in anno currente millesimo ducentesimo quadragesimo quarto die dominico quarto die ante kal. decembris ut constabat per exemplum illius banni factum
per Chunradum Bulium notarium. Quod bannum et que instrumenta predicti Girardus et Pellegrus penes se retinuerunt pro exigenda et petenda alia medietate dicti ficti
contra heredes et bona dicti quondam Manfredi debitoris et istorum quondam Azonis et Iohannis fideiussorum suorum. Ius cuius medietatis dicti ficti exigende et petende contra
predictos heredes dictorum debitorum et fideiussorum et bona in se retinuerunt. Ita quod propter hanc cessionem nullum eis preiudicium generetur in predicta alia medietate dicti
ficti exigenda et consequenda. Et de quibus instrumentis et banno copiam facere et prestare promiserunt predicti fratres obligando omnia sua bona pignori utrumque in solidum
isto Claro quandocumque erunt ei necessaria in iudicio et extra iudicium suis propriis expensis et damnis. Item investiverunt et per omnia in suum locum posuerunt
ipsi fratres utrumque in solidum istum Clarum de omni iure et actione et ratione eis et cuilibet eorum pertinente pro dimidia in ipsa petia terre occasione dicti ficti et qua-
libet alia occasione in dominio et possessione eiusdem sicut habent. Cedendo dando et mandando predicti fratres utrumque in solidum isto Claro omnia iura et omnes actiones
utiles directas reales personales et ypothecarias usus rationes deffensiones et retentiones eis et cuilibet eorum ex quacumque causa competentia et competentes contra
heredes et bona istorum debitorum et fideiussorum qui sunt vel fuerunt aut erunt et contra quoscumque detentores et possessores ipsorum bonorum pro ipsis modiis octo frumenti et
modiis sedecim misture et pro omnibus eorum expensis et damnis et interesse passis factis et futuris et pro omni eo quanti plurimum illa blava fuit et valuit et valebit et pro ipsis
instrumentis et banno et eorum omnium occasione et in ipsa petia terre occasione dicti ficti et qualibet alia occasione et in dominio et possessione eiusdem petie terre
sicut habent. Ipsumque Clarum in rem suam procuratorem constituerunt et fecerunt. Ita quod decetero modis omnibus in solidum et vice istorum fratrum et cuiusque eorum sit et succe-
dat et esse debeat. Et quod possit ita decetero agere et experiri et excipere et replicare et petere et exigere et omni iure et ratione et [rem] retentione uti modis
omnibus contra istos debitores et fideiussores et contra eorum heredes et res et rerum detentores et possessores pro ipsa blava et damnis et interesse et expensis et
in ipsa petia terre occasione dicti ficti et qualibet alia occasione et in dominio et possessione eiusdem in omnibus et per omnia quemadmodum predicti fratres vel aliter
eorum hactenus poterant seu possent ut poterat seu posset. Postquam vero cessione fuerunt confessi et contenti predicti fratres sibi esse plenarie solutum et satis-
factum a isto Claro de omni eo quod eis debebat occasione dicti ficti et occasione dicte petie terre. Renuntiando exceptioni non recepte et habite solutionis
et satisfactionis et omni [...] rationi in contrarium. Qua vero investitura et cessione et omnia ista fecerunt dicti fratres hoc acto et dicto expressim per
pactum quod non teneantur [...] deffensione nec restitutione nec damnum nec dispendium nec interesse nec ad aliquid aliud nisi dumtaxat pro eorum
dato et facto et non aliter [...] in curia comunis Mediolani.
Interfuerunt ibi testes Merlus Simonis filius quondam Roberti de loco Pioltello et Aliozius filius quondam Bedolomei de Massenago de loco Cicilio et Alpinus filius
quondam Guilli Rabbi et pro notario Iacobus de Gardano civitatis Mediolani ambo.

(S.T.) Ego Guido de Samate notarius filius quondam Amizonis de Viviano contractui suprascripto interfui et inde vinea[?] medolat[?] tradidi et scripsi.

(S.T.) Ego Iacobus notarius filius item Iacobi de Gardano porte Cumane iussu ipsius notarii scripsi et pro notario interfui ut supra et scripsi.

Morbio 11 (58)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1810761026-17/fragment/page=1

59. 12. Augusti

1259. 12. Augusti

Fevrarij